



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodiêre

Complectens Santos Mensivm || Ianvarii Et Febrvarii

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10258

De S. Felice Nolano confessore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77365](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77365)

VITA S. FELICIS NOLANI, CON-
FESSORIS, AVTHORE VENERABILI BEADA
presbytero.

313

GITVR Felix natus est in Nola quidem Campaniae, sed ^{14. JANVAR.} patre Syro, nomine Hermia, qui de Oriente Nolam veniens, ibidemque quasi indigena inhabitans, genuit filium Felicem. ^{Patria & pater Felici.} eique defunctus reliquit hereditatem substantiam locupletis, cui tamen ipse promissa in caelestibus hereditatis dona praeposuit. Habuit autem & fratrem cognomine sui patris, id est, Hermiam, cum quo patrimonium diuidiceret ^{Hermias} terrenum. Qui longe à Felicis moribus agens, atque ideo frater eius, felicitate indignus perpetua esse et. Nam terrena solummodo bona diligere studuit; & Cæsaris potius, quam Christi, esse miles elegit. At contra Felix, nominis sui mysterium factis exequens, mox à puerō se diuino famulatu subiecit, & crescente gratia virtutum, primo Lectoris officium in Ecclesia suscepit, ac post ad Exorcista gradum proiectus, immundos ex obsessis corporibus spiritus cuncte coepit. Cumque & in hoc Felix fit ministerio virtutibus clarus extisset, non mora, condignum meritis Presbyterij gra. presbyter. dum subiit, nec minor gradu, mente & opere remansit, sicut etiam adueniens tentationum turbo probauit.

Nam tempore eodem exorta infidelium persecutio, graui Ecclesiam certamine pulsauit, nec tamen portæ mortis, portas filia Sion, ut non nunciarent laudem sui creatoris, auertere potuerunt. Cumque magistri authoresque perfidiae primum suæ vescanæ confitum contra ipsos veritatis ac fidei Dominicæ magistros intendissent, primosq; episcopos vel presbyteros ecclesiæ, ad terrorem minorum, aut morti tradere, aut ad negatam fidem cogere conspirassent, factum est, ut ministri erroris & infestorum, Nolam quoquè peruenientes, episcopum urbis illius, nomine Maximum, virum ^{Maximus} doctrina, pietate atque atestate venerabilem, ad tormenta quererent. Quod ille animad- ^{Nolæ Episcopus.} uertens, memor Domini præcepti, quo dictum est, Cùm vos persecuti fuerint in ci- ^{Matth. 10.} uitate ista, fugite in aliam: petit ad tempus secessum loci remotioris, relicto ad tuiti- norem ciuitatis Felice presbytero, quem filij loco completebatur, atque heredem suæ sedis accipere desiderabat. At persecutores vbi episcopum inuenire nequievunt, nihil morati, manus in Felicem mittere contendunt, cumque primum quasi maximam post episcopum urbis arcem, à constantia famosæ suæ virtutis deiijcere, vel blandiendo promissis, vel poenis terrendo satagunt. Comprehensus ergo Felix ab aduersarij furens, ^{Felix com- prehenditur.} tibus, sed ipse multum de interna spiritus sancti consolatione consitus, mittitur in carcerem tenebrosum, vbi manus simul & collum ferrea vincula strigunt, neruo pedes Mittitur in ardantur. Fragmenta quoquè testarum subter eum sternebantur, nè inter horrorem & carcerem, frigora longe noctis ligatus, vel somnum vel requiem capere aliquam, continuo horum acumine compunctus, sineretur.

Interea Episcopus, qui ad montium latibula hostem fugiendo secesserat, & ipse non Episcopi minore martyrium passione gerebat, quâm si ferro vinclitus, aut testis superpositus, vel flammis esset vrendus. Vrebatur nanque animum illius cura maxima sui gregis, vrebatur & corpus famæ, vnâ cum gelida rigore hyemis, qui inter spineta sine testo & alimen- to iacens, noctem vnâ cum die perugil, sollicitis continuabat in precibus. Nec diffi- cile membra senilia, & longis exhausta ieunij, tanta vis malorum comprimens, vel ad mortem usque coegerit. Sed vt superna pietas apertissime, quanta sui cura vir ille dignus esset, ostenderet, mittitur è caelo angelus, qui beatum Felicem confessorem vinculis exemptum, ad quarendum recreandumque ac domi reuocandum antistitem oculis venire præcipiter. Erant autem plures eodem in carcere clausi, sed angelus ad Angelus ueniens, soli Felici, qui pietatis gratia vinclitus erat, apparuit, luce splendens corusca, & Felicem ipsum quoquè domum gratia lucis adimplens, cuius voce simul & luce Felix motus absoluit, intremuit, ac primum quidem se somnij imagine illudi putauit. At angelus surgere illum, & se sequi exundo præcepit. Qui stupens ad imperium iubentis, causabatur se exi- re non posse, quia & vinculis, & claustro carceris, & custodum diligentia teneretur.

D d Porro

Porrò angelus iterata voce surgere illum properè, nihil obstantibus vinculis, iussit; & dicto citius catenæ de manibus & collo eius, compedesque cecidere de pedibus. Eduxit autem illum foras miro rerum ordine, aperta sibi quidem ianua carceris, sed cæteris clausa; ita ut per ipsos custodes, quibus claudebatur, ignaros rerum iter agerent, ipso angelo instar columnæ Mosaice, & ducatum Felici & lumen, vsquedam hostium manus euaderet, præsentia sua fulgore præbente. Ut autem peruenit beatus Felix confessor ad locum deserti, quod episcopus fecerat, inuenit eum agra suspiria tenui statu trahentem. Et quidem gauisus, quod eum viuentem inuenerit, contristatus verò est multum, quod inuentum morti proximum vidit. Itaque complexatus & osculatus est patrem, ceperitque tentare, si forte crebro anhelitu sui oris, & sui fotu corporis aliquid caloris posset gelidis eius artibus adferre. Cùm verò diu laborans, neque clamando, neque tangendo aliquid sensu vitalis in eius posset vel animo excitare vel corpore, sed neque ignem aut alimentum in proximo, quo eum rigentem ac tabescerent recrearet, haberet, tandem inuento salubri consilio, flectit genua sua ad patrem Domini nostri Iesu Christi, suppliciter obsecrâs, ut ipse cælitus eum iuaret, quod ministerium pietatis, quod iussus erat, erga patrem suum explere valeret. Nec mora, exauditus vidit pendenter vicinis in sentibus vuam, & illius esse munus agnouit, qui naturâ conditor atque author omnium, & aquam de petra produxit arida, & ipsam cùm voluit in vicum conuerit. Lætatusque multum hoc munere diuina pietatis, tulit racemum, atq; ad os episcopi morientis admouit. Sed quia ille striolis dentibus instar mortui, ut potè omni sensu & cordis & animæ carens, oblatum sibi gustum prorsus accipere neciebat, tandem sanctus presbyter Felix, felici manuum suarum luçamine aperuit arida eius labia, & sic ori eius, resoluta sua, quantum potuit succi salutaris infudit. Quo gustato, mox pater sensum & anima recepit & corporis aperiuntur deinde oculi, linguaque, quæ siccis hærebat fauicibus, ad loquendum soluta est. Et vbi plenè reuiuiscens, Felicem esse, qui ad se querendū venisset, agnouit, paterna illum pietate complexus, & quare tam sero veniret, conquestus est; Vbi, inquiens, tam diu demoratus es fili? Nam te iamdudum Dominus ad me venturum promiserat.

Vides autem, quia & si fragilitate vietus corporis, ad horam cessit, solidam tamen animi fidelis constantiam seruati, sicut etiam loci huius, ad quem successi, status indicat. Poteram quidem ad vicum aliquem, siue aliam urbem, vbi ab hostibus essem tutus, intrare, si mihi vilis fides, & cara hæc vita fuisset. Nunc autem cuncta hominum refugia declinans, ad desertâ verò montium configiens, diuinæ tantum me gratiæ tuitionique credidi, ut videlicet me ipse quocunque modo vel ordine vellet, aut in hac vita conservaret, aut in futuram transferret. Neque verò me spes, qua in Deum erat, fecellit, sicut tuo manifestè probatur aduentus, per quem ab ipso, ut ita dixerim, limine mortis sum reuocatus ad vitam. Vnde, nate mi, complete festinus coceptum pietatis opus curato, & impositum me humeris tuis, domum reportare satage. Quibus dictis, Felix celerimè quod iubebatur expleuit, reuectumque humeris antisitem, suam ad domum retulit, quam unica seruabat anus.

Intantum autem antistes venerabilis à mundi erat rebus alienatus, ut illi de omni turba domûs & summa censu, anus una superesset. Pulsatis ergo foribus, hanc suscitauit Felix, surgentique ac ianuam aperienti dedit & commendauit episcopum. Tunc episcopus pro impento sibi officio pietatis, beato Felici debitam gratiarum retulit actionem, & imposita capiti eius dextera, paterna illum benedictione donauit. Qui eterne inde, paucis diebus & ipse in domo sua, donèc persecutionis turbo cessaret, delituit. Quod dum fieret, deseruit latebram, & leuantibus de suo aduentu ciulbus, se se letum reddidit, ac per omnia digrediens, solabatur & conforrabat verbo exhortationis animos singulorum, qui acerbitate premissa tempestatis non modicum fuerant conturbati. Nec solùm vero verbo, sed & suo illos docebat exemplo & prospera mundi & aduersa despicer, sola æternæ patriæ gaudia querere, solam superni iudicis iram formidare. Rursus mota persecutione, queritur Felix, veniuntque hostes usque ad habitaculum eius, illum ocyüs rapere ac morti tradere sidentes, qui tum forte ab edibus suis absens, in medio ciuitatis cum amicis consistebat, & more sibi solito verbum fidei circumstantibus turbis prædicabat. Quem eo loci esse audientes aduersarij, mox striolis gladijs accurrit, sed peruenientes ad cum, mutato diuina prouisione aut vultu ipsius, aut corde illo-

Felicitas erga
episcopum
charitas

Num. 20.
Iohan. 2.

Episcopus
penè exanimis
misericordia
ad se.

Portatur
a Felice do-
mum.

Felix lati-
tat in do-
mo sua.

Nova per-
secutio.

de illorum, nequaquam cum, quem optimè nouerant, agnoscere valebant. Interro. *Felicem nō agnoscent perfecuto-*
 gantibus ergò ipsum, vbì esset Felix, intellexit vir prudentissimus diuinitùs auctum es agnoscere.
 se, nè eum agnoscerent, ridensque inquirentibus. Nescio, inquit, Felicem, quem que res.
 ritis, nec prorsus se felicit. nemo enim se ipsum facie nouit. Qui statim relinquentes
 cum diuerterunt alio, & quos forte obuios habebant, interrogabant vbì esset Felix? è
 quibus vnu, prorsus causæ ignarus, & furere eos credens, cœpit obiurgare eos de-
 mètia, qui presentem non possent agnoscere eum, cum quo loquebantur, pariterque
 eis quo discederet ille, quem querebant, ostendit. Qui grauius furentes, statim vestigia
 beati Felicis insequuntur. At ille appropinquans eis, admonitus tumultu prœcur-
 rentis ciuitatis, & clamoribus attoniti aduentu hostium vulgi, secessit locum in secre-
 tiorem, qui nil quidem munimenti firmioris habens, semiruti tantum muri erat fra-
 gmine præseptus. Sed mox vt virum Dei recepit, miro cum diuinæ manus est opere tu-
 tatus. Repentino enim rudere concreuit ibidem agger, qui eundem locum præclude-
 ret. sed & aranea diuino nutu, cui omnis creatura deseruit, confessim nutantes ipso in Nota mira-
 loco telas suspendit. Quòd cum peruenissent, obstupuerunt hostes, & presso gradu, lo-
 colum.

quebantur muri, dicentes; Nonne stultum est nos hoc hominem querendo ingre-
 dīcūm liquidò apparat neminem hīc præisse? quia si quisquam intrâset, nequaquam
 hīc aranearum fila integra remanerent, quæ etiam muscæ per rumpentes minime, non
 nunquam scindere solent. Constat ergò quia qui hue secessisse Felicem dixit, asti fe-
 cisti, ut nos ab eius inuentione longius abstraheret. Ergò recedamus, ac omittamus hīc
 hominis latebras scrutari, vbì ipsa loci facies neminem intrâsse præmonstrat. Sic delusi,
 discedunt properè, frementes, & non minùs, quam in Felicem, rabida mente frenden-
 tes in eum, qui se in loca talia suis dolis induxerat.

Vbi multa claruit sapientia pij conditoris ac protectoris nostri. Certè nonnun-

quam muri urbium altissimi ac munitissimi, ciues suos obidentibus aduersarijs pro-

dunt magis, quam liberant? & humilem Christus famulum suum à persecutibus ar-

matis hostibus, tremulis aranearum cassibus, nè inueniri vel capi posset, abscondit.

Verè, vt venerabilis pater Paulinus de his loquens ait, vbi cunque Christus adest nobis,

& aranea murus fieri, at cui Christus adest, & murus aranea fiet. Discesserunt ergò in-

cubente iam vespera, hostes, & Felix, illis abeuntibus, liberiùs alias petit latebras, gau-

dens de adiutorio diuinæ protectionis, secumque decantans; Nam etsi ambulem in

medio vmbra mortis, non timebo malam, quoniam tu mecum es. Dic autem factio, se-

cessit in locum inter ipsa edificiorum tecta secretiorem, vbi sex mensibus continuis ab

hominum quidem notitia omnium segregatus, sed diuinæ gratiæ præsentia fructus, ma-

nebat absconditus, videlicet iuxta vocem Psalmistæ, in abscondito vultus eius à con-

turbatione hominum? qui etiam miro illum atque hominibus inusitato ordine tanto

temporis spatio pauit.

Manebat nanque in vicinis ædibus quædam mulier Deo deuota, cuius ministerio
 nescientis scienter ipse, qui est totius scientiæ fons & origo, Dominus vtebatur. Co-

quebat enim panes mulier, coquebat alias escas in cibaria domus suæ, & facla in excc-

sumentis, eo loco inferebat has, vbi Felix confessor latebat, ibique sumendas illi pone-

bat, ita ut neque hoc se intrâsse, neque redisse vñquam scire posset, sed præparatas escas

domis posuisse credens, ita semper abibat, ponenda memor, & mox posita immemor

efca. Et sic beatum Felicem ferunt sex, vt dixi, mensibus in ijsdem latebris obscuri &

angusti teeti mansisse, ab humana quidem societate seicutum, sed nunquam ciuium

superiorum præsentia desertum? & parco nimis vñctu, sed cælitùs ministrato, vitam

dixisse felicem? quo tempore perhibetur etiam diuinæ collocutionis dono sèpiùs di-

gnus fuisse habitus. Erat autem ijsdem, in quibus morabatur, habitaculis cisterna ve-

tus, de qua ipse in primis pauperem potum hauriebat? sed hæc cùm nimio æstatis esset

siccata calore, non tamen beato confessori, vnde viueret, defuit. Et enim pius conditor

ac prouisor salutis nostræ, qui quondam siccò aëre cætero, vnum solummodo vellus

fudic, 6. pluia cælesti perfudit, ipse suo confessori silenti prorsus ac sereno aëre, prout opus item aliud,

habebat, occulti roris gratiam, qua sitiens recreetur, ministravit.

Completo autem hoc tempore, admonitus est oraculo diuino procedere de late-

bris, eò quod iam persecutionis turbo pertransisset. Qui vt repentinus apparuit in pu-

blico, gratissimè ab omnibus, quasi à paradiso veniens, suscepit us est. Cœpit autem ex

tempore fidem confirmare omnium, quæ saevitia tempestatis erat non minimūm consulta. Interea Deo dilectus antistes Maximus, longa prouectus aetate, diem clausit ultimum, nec mora, Felix in episcopatu omnium iudicio eligitur, qui & confessor existens inuictissimus, & docttor suauissimus, quæque bona ore docebat, ipse cuncta opere complexisset. Verum Felix, ut etiam humilitatis quantam in corde haberet sublimitatem, insinuaret, verecunda se voce, ne hunc gradum suscipere deberet, excusauit, dicens compresbyterum suum Quintum, multo dignius honorem praefati gradus posse subire, eō quod is septem diebus ante, quam ipse, ad ordinem presbyterij fuisse promotus. Quod ita, vi postulabat, expletum est, susceptumque episcopatus officium ita idem Quintus administravit, ut humiliter beatissimo confessori submissus, illum proximam ad populum facere iubet, & ipse plebem officio, Felix doctrina regeret.

S. Felix' res. Qui videlicet Felix, cum constantia confessionis & virtute humilitatis, etiam summus voluntaria paupertatis amator extitit. Possederat nanque ex paterna hereditate prædia multa, domosq; ac diuitias plurimas, sed tempore persecutionis proscriptus, cuncta amiserat. At vero pace ecclesijs redditu, cum posset iura sua repetrere, nequam ultra volebat, sed amicis suadentibus, ut debita sibi iura recipere, quæ recepta cum foenore magnæ mercedis dispergere ac dare pauperibus posset, nullatenus id facere consentiens, forti sententia suggestiones eorum repellebat, dicens: Omnia mihi licent, sed non omnia expedient. Absit enim, tres, quas causa confessionis perdidisti, repetam, absit, ut terrenas opes, quas caelestium bonorum contemplatione semel contempsisti, quasi hec minus sola sufficiant, illa ratione reposcam, quin potius pauper spiritu sequar Iesum, quo opulentius regni celorum dona percipiam, nec dissidendum quin ille, qui me & vinculis tenebrisque diri carceris eripuit, & ab hominibus secretu tanto tempore pauit, etiam cætero vita mea spatio iactantem in se cogitatum meum enutriat. Hunc retinens animum beatus confessor, tria tantum iugera ruris modici, & haec conducta, & unum hortulum proprij iuris, unde viueret, habuit. Sed & vtraque, ne uno quidem famulo adiutus, propria manu coluit, fructum autem eiusdem suæ messe vel hortuli adiutum, cum pauperibus semper communicare gaudebat. Eandem autem & in habitu parsimoniam vir beatissimus se tabatur, ita ut simplici tantum vestimento, & quod nunquam vel sibi sufficeret, esset contentus, si quid vero superest, pauperibus erogaret, & si forte aliunde contingere, ut geminum haberet indumentum, mox nudum meliore refouit.

Eius vestitus. Tali ergo viuens pietate, vir & nomine & merito Felix, plenus dierum atque operum bonorum defunctus est, ac viam patrum secutus, aeterna est receptus in gloria, sicut etiam signa, quæ in ecclesia, in qua sepultus est, sunt facta perplura, testatur. Erat enim ibi quidam rusticus, pauper rebus, sed fide integer, qui angustum pauperiem duorum solummodò boum possessione sustentabat, vel ipse videlicet his vtens, vel vicinis utendos pœta mercede comodans, quos cum multa inops cura diligenter atque seruaret, quadam nocte furto ablatos perdidit. At manè factio cum eos furatos certissime compriisset, amissa omni spe suæ questionis vel inuentionis, petit rapido cursu ecclesiam sancti Felicis, ibidemque adueniens, ante fores domus sanctæ prostratur, fixoque in terram vultu, implorat & obsecrat sanctum Felicem reddere sibi boues quos perdidit, testatus multum cum lachrymis, nunquam se inde, nisi boues receperit, exiturum. Quod cum die toto voce quidem rustica, sed fidelissima mente fecisset, superueniente vespera eius est violentia turbæ, & sacris propulsatus ab ædibus, venit ad suā domum, nec omittit continuis in lamentis noctemducere perwigilem. Verum quia omnis qui petit, accipit, & qui querit, inuenit, & pulsanti aperietur, & sicut Psalmista ait, desiderium pauperum exaudiuit Dominus, medio noctis tempore, cum cæteris hominibus quiescentibus, ac rebus omnibus quietis, ipse solus, excitata se suo dolore ac paupertate perwigil iacchet, miru diœtu, contigit venire subito ad eius ostium boues, quos querebat, diuino videlicet nutu, & predonibus erexit, & ad domum domini per loca auiæ inter tenebras noctis erroresque reuocati, pulsantesq; cornibus ostia eius, in quo manebat, tugurij, iam sese aduenisse signabant. Sed ille multum tremens, non iam boues suos, sed fures sibi rursus adesse credens, diutiis fore aperire tardauit, donec ijdem boues, quasi causam tardantis domini intelligentes, per mugitus quoquè emissos, se esse, qui ad ostia domestica pulsarent, demonstrarent. Recepitis autem bubus, rusticus non rusticè, sed doctore ac fide-

Miraculum post obitum S. Felicis. **Luc. II.
Psal. 9.** Tali ergo viuens pietate, vir & nomine & merito Felix, plenus dierum atque operum bonorum defunctus est, ac viam patrum secutus, aeterna est receptus in gloria, sicut etiam signa, quæ in ecclesia, in qua sepultus est, sunt facta perplura, testatur. Erat enim ibi quidam rusticus, pauper rebus, sed fide integer, qui angustum pauperiem duorum solummodò boum possessione sustentabat, vel ipse videlicet his vtens, vel vicinis utendos pœta mercede comodans, quos cum multa inops cura diligenter atque seruaret, quadam nocte furto ablatos perdidit. At manè factio cum eos furatos certissime compriisset, amissa omni spe suæ questionis vel inuentionis, petit rapido cursu ecclesiam sancti Felicis, ibidemque adueniens, ante fores domus sanctæ prostratur, fixoque in terram vultu, implorat & obsecrat sanctum Felicem reddere sibi boues quos perdidit, testatus multum cum lachrymis, nunquam se inde, nisi boues receperit, exiturum. Quod cum die toto voce quidem rustica, sed fidelissima mente fecisset, superueniente vespera eius est violentia turbæ, & sacris propulsatus ab ædibus, venit ad suā domum, nec omittit continuis in lamentis noctemducere perwigilem. Verum quia omnis qui petit, accipit, & qui querit, inuenit, & pulsanti aperietur, & sicut Psalmista ait, desiderium pauperum exaudiuit Dominus, medio noctis tempore, cum cæteris hominibus quiescentibus, ac rebus omnibus quietis, ipse solus, excitata se suo dolore ac paupertate perwigil iacchet, miru diœtu, contigit venire subito ad eius ostium boues, quos querebat, diuino videlicet nutu, & predonibus erexit, & ad domum domini per loca auiæ inter tenebras noctis erroresque reuocati, pulsantesq; cornibus ostia eius, in quo manebat, tugurij, iam sese aduenisse signabant. Sed ille multum tremens, non iam boues suos, sed fures sibi rursus adesse credens, diutiis fore aperire tardauit, donec ijdem boues, quasi causam tardantis domini intelligentes, per mugitus quoquè emissos, se esse, qui ad ostia domestica pulsarent, demonstrarent. Recepitis autem bubus, rusticus non rusticè, sed doctore ac fide-

DE S. FELICE NOLANO.

317

ac fideliter agens, festinauit primo manè debitas redditori suo gratias repéndere. Af-
sumens enim secum boues, venit ad ecclesiam sancti Felicis, omnibus & illò iter facien-
tibus, & ibidem perueniens, beneficia quæ à sancto percepisset, larabunda voce repli-
cans & ostendens. Et quia multum plorans, vel inquirendo suos boues, vel in recipi-
endo præ gaudio, oculorum quoquæ aciem non minimum læserat, & huius detrimen-
ti solatum à beato Felice quærens accepit. sicque domum redijt, dupli gratiæ cæle-
stis munere letatus.

*Aliud mis-
raculum.*

Cumque in honorem eiusdem beati confessoris augustior ecclesia ædificaretur, erant
in proximo ipsius ecclesiæ duo rustica ædificia, importuna situ, simul & deformia visu,
qua omne decus ecclesiæ non parum sua obscuritate foedabant. Volens autem vene-
rabilis ac Deo dilectus antistes Paulinus tolli hæc ædificia, & emundari loca, in quibus si-
ta erant, postulabat eos, ad quorum possessionem pertinebant, hanc beato Felici præ-
bere reuerentiam, ut ad illustrandum decorandumque locum ecclesiæ eius, priuata sua
tecta paterentur auferri. At illi preces cius rusticæ obstinatione spenentes, magis se
animas dare quam suas possessiones relinquere posse dicebant. Cumque episcopum
taderet rusticos rixa vincere, vieti sunt potentia manus diuinæ. Nam nocte quadam
quietib[us] cunctis, subitus ignis ex vna cellarum earundem exoriens, vicina paula-
tim ædificia petere coepit; ita ut magis magisque suis incrementis adactus, & propè
& longè posita habitacula cuncta consumpturus esse videatur. Tunc tantis excitati
fragoribus & globis ignium, ciues curarerunt, ut vel incendium, si possent, omnes
quam fundendo restinguenter, vel de suis singuli domibus quæcunq[ue] possent igni præ-
ripientes auferrent. Cumq[ue] se nil valere posse consiperent, coeperunt quædere diuinum,
vbi humanum cessabat, auxilium. Aduolant ergo, duce episcopo, ad ecclesiam
sancti Felicis, & tuncque genua, supernæ auxilia protectionis implorantes, diuertuntq[ue];
inde ad ecclesiam beatorum Apostolorum, quæ continua erat ecclesia beati Felicis,
& inde per intercessionem apostolicam cœlestis præsidij dona flagitantes. Vbi post-
quam oratum est, redijt domum episcopus, sumptamque de ligno Dominicæ crucis *Nota vim
particulae
crucis Christi*
non grandem astulam, misit in medium incendijs furentis, statimque immensa illa vo-
lumina flammarum, quæ tanta virorum manus aquas spargendo extingue nequivie-
rat, ipse lignum addendo restrinxit. Tanta etenim sancta crucis erat virtus, ut se se natu-
ra relinqueret, & ignis, qui omnia solet ligna vorare, ipse ligno Dominicæ passionis ve-
luit exustus absumetur. Vbi verò tempestas tanta sopita est, & manè redeunte, ciues
dira noctis opera considerare venerunt, credentes se non parua tantis incendijs damna
esse perperos, inuentum est nihil prorsus exustum, nisi quod debebat exuri. Ex illis etc
nim dominibus duabus, de quibus prædictimus, quas & homines consumere atque aufer-
re disposerunt, vnam flammis absumptram videbant. Quo facto, multum erubuit ru-
sticus ille, qui sua tecta contra decorum sanctorum stolidæ obstinatione
defenderat, cernens se iniuitum nulla mercede perdidisse, quæ in gratiam sanctorum
spontè solebat amittere. Et mox ipse, quod igni superfuerat de suis ædificiis, propria coe-
pit manu abolere, quatenus ocyùs omnis circa ecclesiam beati confessoris locus con-
grua sanctis claritate ac luce redderetur insignis. Ablata autem omni ruderum foedita-
te ac sordium earundem, perfabat beatus antistes Paulinus ecclesiam, quam coeperat,
ad perfectum deducere, cuius ædificium omne tribus annis perfecit, & in picturis atq[ue] *Nota de
omni ornato suo debito fine conclusit*, in qua felicissima beati Felicis vita & passio, in picturis tē-
pli.

mato cursu certaminis gloriose, percepit coronam vitæ, quam repromisit

Deus diligentibus se. Explicit liber de vita & confessione san-

cti Felicis, quem ego famulus Christi Beda, de metrico

opere beati episcopi Paulini, simplici ser-
mone transtuli.

Dd 3

NILI